

At enim Cn. Pompeius rogatione sua de re et § 15.  
de causa iudicavit.

Alterum praeiudicium discutit ad utilitatem suam  
revocaturus ipsam rogationis Pompeianae lationem, qua  
5 cum vellent accusatores videri praedamnatum Milonem,  
Tullius in respondendo satis vivaciter argumentatur, cum  
caedes in confesso teneretur, numquam laturum fuisse  
Cn. Pompeium consulem huiusmodi rogationem, ut de  
eodem facinore quaereretur, nisi animadverteret aequitatem  
10 subesse, quae facile pro reo posset aput iudices optinere.

Quid porro quaerendum? factumne sit? at con-  
stat. a quo? at paret.

... Haec ..... sibi familiaria concatenavit inquisitione  
praemissa et subdita responsione. Quae ratiocinatio hoc  
15 explicat nihil contra Milonem statuuisse Pompeium.

Tribunus pl. M. Drusus occisus est.

§ 16.

Et in hac responsione contra praeiudicium multis et  
fortibus exemplis inmoratur; ac primo quidem Livio Druso.  
Qui consulibus Sexto Caesare et Filippo cum partes senatus  
20 in tribunatu suo contra plebem suscepisset, idem vero  
postea volens gratificari sociis et Latinis civitatem Roma-  
nam promisisset, ad extremum eiusdem pollicitationis im-  
plendae desperatione praeventus in atrio domus suae  
incertum quo percussore confossus est.